



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Cursus Theologiæ Polemicæ Universæ**

**Pichler, Vitus**

**Augustæ Vindelicorum, Anno MDCCXIII.**

§. 5. De Communionē sub una vel utraque specie.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39374**

*tura*, tanquam Hæreticas & falsas damnant, uti pariter & istas: *Natura Humana est increata, Omnipotens, immensa, æterna*, præsertim per immensitatem vel æternitatem Divinam. Item istas: *Natura Divina est mortalis, creata, infirma, passa, mortua* &c. Priores propositiones, *Deus est homo, homo est Deus*, ut veræ sint, debet sola Subsistentia Divina (quæ constituit *Suppositum* Christi, & in eo unica est sine Subsistentia Humana) importari in recto, & propositiones habere hunc sensum: *Subsistentia* (seu *Persona*) *habens seu terminans Naturam Divinam est Subsistentia habens seu terminans Naturam Humanam*. Et: *Subsistentia habens seu terminans Naturam Humanam est Subsistentia habens seu terminans Naturam Divinam*. Ut ad eod hoc suppositum sit Divinum & Humanum, Deus & homo. Hinc etiam ista propositio, *Christus est ubique*, debet sic exponi: *Persona Divina ubique habens seu terminans Naturam Humanam est ubique*: non verò sic: & *persona Divina & Natura Humana est ubique*. Pariter hæc propositio, *Christus ubique est homo*, debet sic explicari: *Persona Divina ubique existens habet*

*humanitatem*: non verò sic: *Persona Divina & Natura Humana ubique existentes habent humanitatem*. Ad Confirmationem 1. N. Conf. & parit. Disparitas desumitur ex diversis essentijs denominationum & rerum: nam unius denominationis capax, alterius autem incapax est sæpe eadem res alteri unita: sic idem humanum corpus unitum eidem animæ fit quidem & rectè dicitur *animatum*, non tamen *spirituale*. Ita etiam Humanitas Christi unita Verbo Divino fit verè & rectè dicitur *subsistens* atque *Sancta*, non verò *imensa, omnipotens* &c. cum illarum, non verò istarum denominationum sit capax; nam Naturam Humanam *subsistere* per Subsistentiam Divinam nihil est aliud, quàm esse unitam Verbo Divino, & *esse sanctam* nihil est aliud, quàm eam esse amabilem Deo: utique autem fit amabilis Deo per unitam sibi Sanctitatem Increatam. Econtra repugnat naturam creatam fieri increatam, omnipotentem, immensam &c. consequenter harum denominationum incapax est Natura Humana Christi, utpote creata. Ad 2. patet responsio ex primam dictis.

## §. V.

*De Communionem sub una vel utraque specie.*

33. **S**ciendum 1. vix aliam controversiam plausibiliorem esse, præsertim apud vulgus, pluresque dementales, quàm hanc de Communionem

sub utraque specie, scilicet tam vini quàm panis: sed immeritò, partim quia non advertunt miseri, dum pro utraque specie litigant, se toto Sacramento



mento privari apud Lutheranos & Calvinistas, eò quòd propter defectum legitimorum Sacerdotum apud ipsos non nisi panis & vinum, sine mica Corporis & sine gutta Sanguinis Christi, distribuuntur: partim quia Lutherus ipse passim agnovit, nullum esse Divinum præceptum aut necessitatem utriusque speciei; ait enim: *Quamvis pulchrum esset utraque specie in Eucharistia nisi, & Christus hac in re nihil tanquam necessarium præcepit, præstares pacem & unitatem, quam Christus utique præcepit, sectari, quam de speciebus contendere.* epist. ad Bohemos. Causam verò, cur ipse urserit utramque speciem, reddidit de formula Missæ, ubi (si quo casu Concilij alicujus auctoritate statueretur aut permetteretur utraque species) dicit: *Tunc minime omnium nos velle utraque specie potiri: imò tunc primum in respectum tam Concilij quam statuti sui vellemus aut alterutra, aut neutra potiri.* En! contumacia & libido contradicendi Ecclesiæ unica Luthero causa exstitit urgendi calicem. Primus, qui necessarium esse dixit, tum necessitate præcepti Divini tum necessitate Sacramenti, Eucharistiam suscipi sub utraque specie ab omnibus, fuisse scribitur Petrus Dresdensis anno 1412. & Jacobellus Misnensis, quos secuti sunt Hussita, in Concilio Constantiensi & Basileensi damnati, postea Lutherus & Calvinus, & cum his seducti Germani, de quibus ille versus: *Da calicem, calicem, sitiens Germania clamat.*

Sc. 2. & bene notandum, totum

Christum contineri sub qualibet specie, hoc est, sub specie panis non contineri solummodo Corpus, sed etiam Sanguinem, Animam, & Divinitatem Christi, & vicissim sub specie vini consecrati contineri totum Christum, Corpus, Sanguinem, Humanitatem totam, & Divinitatem, eò quòd ista omnia sint physice inter se unita, & Corpus Christi sit vivum; vivum autem corpus sine sanguine & anima non existat. Neque Christus post Resurrectionem amplius moritur. Rom. 6. & qui solvit *FESUM, ex DEO non est.* 1. Joan. 4. Atque hoc latentur ultrò Lutherani cum Gerardo de Cerna §. 51. & apud M. Lomer p. 279. *Saur, Brunnen, Cur.* Sed istud simul notant Catholici, quòd sub specie panis *vi verborum* præcisè Corpus, & sub specie vini præcisè Sanguis *vi verborum* ponatur, cetera verò *per concomitantiam*, hoc est, propter unionem & naturalem connexionem, quam partes unite habent. Et quia verba consecratoria panis explicitè & formaliter exprimunt solum *Corpus*, & verba consecratoria calicis solum *Sanguinem*, ideo *vi verborum* dicitur ibi solum corpus, hic solus sanguis poni. Hanc distinctionem Lutherani rident, & aliam prorsus imperceptibilem excogitant, vel potius fingunt, ut necessitatem utriusque speciei tueri aliquatenus valeant. Quippe

Sciendum 3. Quamvis à Lutheranis in Eucharistia admittatur Christus *realiter & personaliter* indivisus, ita ut, ubi reperitur Corpus, etiam sit

Eccc 3

San-



Sanguis, Anima, & Divinitas &c. atque cum Corpore *realiter* sumatur & Sanguis &c. tamen *Sacramentaliter* sub specie panis (juxta ipsos cum pane benedicto) solum corpus, non sanguinem, non animam, non Divinitatem; & sub specie vini solum sanguinem, & nihil aliud, de Christo sumi; eò quòd detur unio *Sacramentalis* solius corporis cum pane, & solius sanguinis cum vino. Quam unionem *Sacramentalem* paulò ante §. 2. p. 572. expofam dedi. Dicunt itaque, mediante pane benedicto manducari solum Corpus *Sacramentaliter*, & mediante vino, bibi solum Sanguinem *Christi Sacramentaliter*, quia sic Christus instituit, & ordinavit. Gerard. de Cena §. 31. seqq. Quam unionem *Sacramentalem*, & manducationem *Sacramentalem* dicunt esse incomprehensibilem ( melius dicerent *impossibilem*, & fictam, nihil enim nisi verba sunt, quibus dementant plebem, & ad captum nihil explicant.) & *Christi Corpus non esse localiter in Eucharistia, nec localiter dispensari, sed Sacramentaliter & mysticè, hoc est, ut neque intelligi neque sentiri possit.* Gerard. §. 185.

Sciendum 4. sequentia quæri 1. An sub una specie contineatur totum Sacramentum Eucharistia. 2. An sit præceptum Divinum, Eucharistia Sacramentum suscipi sub utraque specie ab omnibus, qui non actu sacrificant. 3. An Ecclesia possit præscribere unam speciem, vel utranque, prout illi visum fuerit. 4. An defacto rectè præscripserit pro Laicis, & Clericis etiam,

qui non actu sacrificant, unam speciem, scilicet panis.

Dicendum 1. Sub una specie continetur, & suscipitur totum Eucharistia Sacramentum. Ratio desumitur ex essentia & natura Sacramenti, quæ consistit in hoc, ut significet & causet gratiam sanctificantem, & quidem in Eucharistia per modum refectionis; atqui una species (panis) jam significat & causat gratiam sanctificantem per modum refectionis, seu est signum prædicum refectionis spiritualis animæ: ergo. Quòd significet, clarum est; nam panis materialis reficit hominem, sicut aqua abluit physicè: ergo sicut aqua significat gratiam internam per modum abluitionis, ita species panis significat gratiam internam per modum refectionis. Quòd causet, probatur inde, quia sub una specie continetur totus Christus, à quo tota habetur causalitas & efficientia gratiæ in Eucharistia. Neque tamen hinc sequitur, quòd ambæ species simul sumptæ constituant duo Sacramenta diversa; quia utraque species panis & vini refertur ad unam refectionem; quam quidem plenius & cumulatiùs significat, quàm una species, non tamen nisi unam refectionem significat & causat utraque simul: ferè sicut plura fercula in uno corporali convivio sumpta non faciunt duo, sed unum convivium, unam refectionem corporalem.

Dicendum 2. Nullum exstat mandatum Divinum, obligans omnes fideles ad Communionem sub utraque specie sumendam. Prob. 1. negativè, quia



nulum potest ostendi tale mandatum Divinum.

Prob. 2. ex S. Scriptura, ut explicata ab Ecclesia. Jo. 6. Christus, quamvis etiam utriusque speciei mentionem faciat, tamen quater promittit vitam eternam sub una specie communicantibus: *Siquis manducaverit ex hoc pane, vivet in eternum.* v. 52. *Panis, quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita.* ibid. *Qui manducat hunc panem, vivet in eternum.* v. 59. *Ille est panis de celo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.* v. 50. Ergo preceptum Divinum non est, ut sumatur ab omnibus utraque species, alias enim non potuisset promitti vita eterna sumentibus unam speciem. Quod autem hoc cap. 6. S. Jo. agatur de Eucharistia Sacramento communis est sensus Ecclesie, Patrum, & Doctorum Catholicorum. Nec audiendi Novatores in contrarium.

Prob. 3. ab exemplo Christi, & Apostolorum. Christus duobus Discipulis in Emaus Luc. 24. dedit Eucharistiam sub una specie; quia textus tantum panis facit mentionem: *Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum.* v. 30. Ex quo effectu colligunt Patres, non fuisse panem communem, sed Eucharisticum. Nominatim de Eucharistia intelligunt hunc locum S. Chrysol. homil. 17. operis imperfecti in Mattheum, S. August. de consensu Evangel. l. 3. c. 25. Theophyl.

ad c. 24. Luc. Beda ad idem c. 24. Lucr. Pari modo Apostoli (ut legere est in Actis, & Patres interpretantur) fidelibus distribuebant Eucharistiam sub specie panis tantum: *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis.* Act. 2. v. 42. per fractionem intelligitur hic distributio Eucharistia panis juxta illud: *Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* Item: *Una autem Sabbathi, cum convenissemus ad frangendum panem.* Act. 20. v. 7. His in textibus fit mentio solius panis, adeoque unius tantum speciei, in qua Apostoli distribuebant SS. Eucharistiam.

Prob. 4. ex sensu & praxi Ecclesie, de qua aliquid dicemus in assertionem sequente. Interim advertito: si exstaret mandatum Divinum de utraque specie omnibus sumenda, utique illud novisset, & semper observasset Ecclesia; quis enim credat, Deum posse permittere, ut Ecclesia non agnoscat tanto tempore aliquod preceptum sui Sponsi, necessarium ad salutem?

Confirmatur ex figuris Antiqui Testamenti, sumptionem Eucharistia significantibus: uti erat esus Mannæ, & Agni Paschalis, item participatio de sacrificijs animalium, de quibus, quamquam comederetur caro, sanguis tamen effundebatur. Igitur sumptio Eucharistia sub uno sape symbolo figurabatur. Et quamquam Theologia Mystica vel Symbolica dicatur esse non argumentativa, & ex figuris non semper



per defumantur argumenta convincentia ad probandum fidei articulum: sufficiens tamen robur habent, quando vel per se sunt valde clara, uti sunt istæ, vel accedit communis interpretum sensus.

26. Dicendum 3. Potest Ecclesia vel unam vel utramque speciem præcipere, prout ipsi consideratis circumstantijs visum fuerit. Prob. 1. Quamvis enim Ecclesia non possit instituere Sacramenta quoad substantiam, potest tamen aliquid ordinare, hoc vel illud præscribere observandū in dispensatione Sacramentorum, ubi Christus nihil determinatè præscripsit seu præcepit: atqui Christus de modo dispensandi Eucharistiam, utrū nempè debeat dispensari sub una vel utraque specie, nihil determinatè præscripsit, & nullum super hæc dedit mandatum, ut vidimus: ergo. Ma. constat partim ex ratione, quæ dicitur, Ecclesiam in ijs rebus posse ordinare & determinare aliquid, ubi Christus nihil determinavit, cum sortita sit vicariam Christi potestatem, partim ex Scriptura, quæ sic dicit: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* 1. Cor. 4. qua potestate ordinandi circa hoc ipsum mysterium usus esse creditur S. Paulus 1. ad Cor. 11. sic scribens: *Cætera, cum venero, disponam.*

Prob. 2. ex praxi Ecclesiæ; scimus enim tum ex PP. tum ex Historijs Ecclesiasticis, ab Ecclesia aliquando fuisse permissum fidelibus, ut pro ratione temporis vel loci sumerent utramque

speciem, vel unam, ut contigit primis sæculis: aliquando fuisse præceptum (pro districtu Romano ad aliquod tempus à Gelasio P. imitante exemplum S. Leonis M. ut docet Baron. ad annum Ch. 496.) ut sumerent utramque speciem, etiam vini; cuius rei ratio erat, ut dignoscerentur Manichæi, qui sub specie vini communicare volebant, eò quòd vinum abominarentur tanquam creaturam malam à diabolo productam; nam apud Catholicos tum moris erat, sub una specie panis communicare, & Manichæi inter illos latentes accedebant cum ipsis non sine gravissima injuria Sacramenti. Demum aliquando fuisse præceptum, ut ubique sumerent sub una duntaxat specie panis, uti in Conc. Constantiensi S. 13. & Trident. S. 21. Posteriora duo membra non negantur à Sectarijs, bene tamen primum, quòd primis sæculis liberum fuerit pro circumstantia temporis & loci unam sumere speciem, atque fideles sub una se suscipere verum Eucharistiæ Sacramentum crediderint.

Id quod nunc ostenditur 1. quia primis sæculis consuetum erat in gravi persecutione, in navigatione longa, imò etiam extra has circumstantias Eucharistiam deportare domum, in navem, domus retinere, ut pro opportunitate & devotione illam sumerent: item Eremitæ passim deportabant ad suas eremos, ut suo tempore se illà reficerent, ut testantur Tertull. l. 2. ad uxorem c. 15. S. Cyr. de lapsis in orat. funebr. de excessu Satyri, S. Basil. in ep. ad Cæsariam Pat-

riti-



critiam apud Cani, ubi sic loquitur: *Persecutionis temporibus necessitate cogi quempiam non presente Sacerdote aut Ministro Communionem propria manu sumere &c. longa consuetudine confirmatum est. Omnes enim in eremis solitariam vitam agentes, ubi non est Sacerdos, communionem domi servantes, a se ipsis communicant. In Alexandria vero & in Aegypto uniusquisque eorum, qui sunt de populo, ut plurimum habet communionem in domo sua. Semel enim sacrificium Sacerdote consecrante & distribuyente merito participare & suscipere credere oportet. Etenim & in Ecclesia Sacerdos dat partem, & ipsam admovent ori propria manu. Idem igitur est virtute, sive unam partem accipiet quisquam a Sacerdote, sive plures partes simul. Atqui species vini non poterat diu asservari in adibus, in eremis, in navigijs, quia fuissent corrupta.* 2. Quia constat, Patres saepe loqui tantum de pane, quando loquuntur de Evcharistia, nulla mentione facta vini, ut S. Augustinus l. 50. homiliarum homil. 26. & serm. 252. de tempore. S. Ign. M. ep. ad Eph. *Siquis non fuerit intra altare, fraudabitur pane Dei.* Taceo alios. 3. Quia olim Evcharistia fuit praebita infantibus, ut nemo negat: atqui dabatur sub una tantum specie, scilicet vini, teste S. Cypr. serm. de lapsis, sub qua facer Sanguis instillabatur; cum nondum possent solidum cibum comedere. 4. Quia moribundos una tantum specie, saltem subinde, communicabant, ut Serapionem quendam apud Euseb. R. P. Pichlen Theol. Polemica.

Caesar. l. 6. histor. Eccl. c. 36. puerum aegrotantem apud Bedam l. 4. Anglican. histor. c. 14. S. Ambrosium apud Paulinum &c. 5. Quia vescebantur praesantificatis, hoc est, illis hostijs, quae jam alio die fuerant consecrata, uti hodieum adhuc fit a Sacerdote in die Paraceves, quo die non consecratur, quia sacrificare non licet; & Graeci per Quadragesimam totam, excepto die Dominico & Sabbatho, communicabant ex praesantificatis, ubi solam hostiam alio die jam consecratam, sive vino consecrato, sumebant. Vide de hoc usu Conc. Laodic. Can. 49. Conc. Trull. Can. 51. Innocent. l. in ep. 1. c. 4. &c.

Confirmatur. Potest Ecclesia aliquid ordinare, & immutare circa personas, quibus hoc Sacramentum sit dispensandum (sic olim permittit infantibus praebere Evcharistiam, quod nunc non amplius permittit ex iustis causis) item circa tempus, quo suscipi debeat; nam primis temporibus quotidie dabat Evcharistiam fidelibus: postea circa annum Christi 250. praecipiebat, ut quilibet saltem ter in anno, scilicet in Natali Domini, Paschate, & Pentecoste, sumeret: nunc vero refrigerante fidelium devotione obligat ad unicam in Paschate Communionem c. utriusque sexus de poenit. & remiss. Cur igitur non possit etiam ordinare aliquid & praescribere circa modum sumendi Evcharistiam, ad quem modum (non ad essentiam) spectat una vel utraque species?

Dicendum 4. Ecclesia defacto re- 27?  
 &c. praecipit non actu sacrificantibus  
 Ffff con-



communione sub una specie panis, interdicens usum calicis. Probatum facile; quia ex una parte potest id præcipere Ecclesia, ut ex præcedentibus patet; continetur enim in una specie totus Christus, totum & essentialiter integrum Sacramentum, atque realiter etiam suscipitur sanguis &c. Nullum exstat mandatum Divinum de utraque specie: ubi autem nullum exstat mandatum Divinum, potest ordinare & præscribere Ecclesia, Christi vicaria. Ex altera verò parte sunt justæ causæ, quibus Ecclesia permota præcipiat unam speciem panis, & prohibeat dari laicis calicem. Cujusmodi causæ sunt quidem complures, compendij tamen loco ad tres reduci possunt. 1. est, ut Ecclesia se opponat hæreticis, eorumque duplicem errorem manifestius damnet; nimirum eorum, qui docere cœperunt, in una specie non contineri totum Christum, & totum Sacramentum: & aliorum, qui contendunt, esse mandatum Divinum omnes obligans ad communionem sub utraque specie. 2. Ut multiplex irreverentia tanti Sacramenti caveatur; nam compertum est facile contingere, ut sacratissimus Christi sanguis, sub specie vini datus, adhareat barbæ virorum, vel effundatur super vestes, vel in corporis partes, vel etiam omnino in terram, præsertim in magna compressione communicantium, vel in communionem senum, tremulorum, puerorum, infirmorum &c. Propter ejusmodi irreverentias Ecclesia de facto prohibuit infantibus S. Eucharistiam, magis consulendum rata reverentiæ augustissimi hujus Mysteriorum, quam parvulorum utilitati,

quam perciperent ex hoc Sacramento. 3. Ut servetur conformitas per totam Ecclesiam in dispensanda laicis Eucharistia, & ubique faciliter ejus usus; sunt enim plures provinciæ, in quibus difficillimè haberi posset vinum in tanta copia, ut sufficeret communicantibus; præterea inveniuntur aliqui abstemij, qui vinum ne quidem gustare possunt propter naturalem horrorem; alij horrent ex eodem calice bibere post alios, fortè morbis infectos, post barbatos & sordidos rusticos, post edentulas vetulas de naribus stillantes &c.

Ob. 1. Eo modo suscipienda sunt Sacramenta, quo modo Christus instituit: sed Christus instituit Sacramentum Eucharistiæ sub utraque specie: ergo. 2. Eo modo debemus distribuere Eucharistiam fidelibus, quo ipse distribuit suis Apostolis: sed distribuit sub utraque specie: ergo. R. ad 1. Dist. Ma. eo modo suscipienda sunt Sacramenta quoad substantialia, quo modo Christus instituit C. Ma. quoad accidentalialia N. Ma. substantia Sacramenti jam datur in una specie tigitur altera, in qua nihil novi nobis datur, sed tantum in nova & alia specie, spectat ad accidentalialia. Vel aliter Dist. Ma. quo modo Christus instituit sub præcepto C. Ma. sine præcepto N. Ma. Unde ad 2. Exemplum Christi facit quidem, ut aliqua res sit licita, non tamen facit, ut sit præcepta, quia recitatur tantum historicè, non proponitur ut præceptum: alias enim Lutherani deberent communicare in pane fracto (quia Christus fregit) vesperi, non jejuni, & præsertim locis prius pedibus, quia Christus lavit pri-



As Discipulorum pedes, & insuper dixit: *Et vos debetis alter alterius lavare pedes; exemplum enim dedi vobis &c.* Adde, quod Min. non sit omnimodè vera; nam Christus Discipulis in Emaus distribuit Eucharistiam sub una specie panis.

Dices 1. Christus subjunxit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 22. quæ verba continent præceptum. R. hæc verba Christus non dixit post consecrationem calicis, sed tantum post consecrationem panis, ut patet ex historia Evangelica. Dein, si præse attendatur textus, deprehendatur Christus Discipulis in ultima Cœna præbuisse tantum unam speciem, scilicet panis: *COENANTIBUS illis accepit JESUS panem &c.* Matth. 26. calicem verò primum post Cœnam: *Similiter & calicem, POST QUAM CENATUM EST &c.* Luc. 22.

Dices 2. S. Paulus referens historiam institutionis Eucharistiae perpetuò conjungit manducationem & bibitionem, adeoque communionem sub utraque specie. Sic enim scribit 1. Cor. 11. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus JESUS, in qua nocte trahebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit & dixit: accipite & manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cenavit, dicens: hic calix N. v. Testamentum est in meo sanguine: hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemo-*

R. P. Pichler Theol. Polemica,

rationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini &c. Ubi signanter notandum etiam est, quod Paulus bis dicat, *hoc facite in meam commemorationem*, etiam post consecrationem calicis. R. 1. Sicut Christus instituendo non dedit mandatum sumendi utramque speciem, obligans omnes; ita nec Paulus, præcisè referens institutionem Christi, dedit mandatum. Solummodo *tradidit*, quod accepit, hoc est, retulit, non præcepit, sicut nihil præcepit, dum dixit 1. Cor. 15. *Tradidi vobis, quoniam Christus mortuus est.* R. 2. Duo esse in his Pauli verbis, quæ favent uni speciei; nam 1. post consecrationem panis *absolute* additur, *hoc facite in meam commemorationem*, post consecrationem calicis verò tantum *conditionate & limitate*, *quotiescunque bibetis*, hoc est, si & quando bibetis. 2. Adhibet Paulus particulam disjunctivam *vel*; ait enim: *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem &c.* ergo falsum est, quod Paulus perpetuò conjungat manducationem & bibitionem; sed etiam disjunct per disjunctivam *vel*, qua indicat, etiam alterutram speciem seorsim sufficere.

Dices 3. Idem Paulus 1. Cor. 10. v. 16. scribit: *Calix benedictionis, cuius benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quo*

FRAN



*frangimus*, nonne participatio Corporis Domini est? & v. 17. *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus.* Ergo utraque species sumenda, aliàs non sumitur Sacramentaliter Corpus & Sanguis; nam panem vocat *xaivaivlav* Corporis, & calicem *xaivaivlav* Sanguinis, seu *communicationem*. R. 1. Sensus textus est, quòd sub specie panis communicet nobis Corpus Christi (uti que vivum &c.) & sub specie vini (si præbeatur, quòd hic æquè parùm præcipitur omnibus, ac alibi) communicetur Sanguis &c. quòd non est contra Catholicos. R. 2. iterum duo ex his verbis favere uni speciei; nam 1. tò *frangimus* etiam juxta Lutheranos idem est ac *distribuimus*, & per illud innuitur, quòd panis semper distributus fuerit à Paulo, similem verò vocem non adhibuit apud calicem, sed solum addidit, cui *benedicimus*, non verò *distribuimus* &c. ut innueret, calicem non semper fuisse distributum. 2. Quia v. 17. seq. statim fit mentio solius panis, *qui de uno pane participamus.*

Dices 4. Christus ipse præbens calicem jussit omnes bibere, quia dixit: *Bibite ex hoc omnes.* Mat. 26. ergo exstat mandatum calicis, obligans omnes. R. illud *omnes* respicit solos Apostolos, tunc præsentés, quòd colligitur clarè tum ex eo, quòd S. Marcus c. 14. dicat: *Biberunt ex eo omnes,* utriusque non omnes omnino fideles; nam B. Virgo, Joseph ab Arimathea &c. non biberunt, sed solum illi, qui assidebant mensæ, & quos v. 31. ite-

rum allocutus est, dicens: *Vos OMNES scandalum patient in me:* tum ex eo, quia aliàs defacto deberent etiam bibere infantes, abstemij &c. si absolute jussisset omnes bibere. Caterùm quòd tò *bibite* fit *Imperativi modi*, non infert mandatum, aliàs etiam mandatum esset illud Christi: *Vade, vende omnia, & da pauperibus.* Mat. 19. Aut illud Davidis Psal. 50. *Amplius lava me &c. Miserere mei Deus &c.*

Dices 5. Quibus dicitur *manducate*, iisdem etiam dicitur *bibite*: ergo vel utrumque spectat ad solos Apostolos, & sic cessat institutio Eucharistiæ, ac nullum datur mandatum Divinum post tempora Apostolorum omnes obligans ad usum hujus Sacramenti: vel utrumque spectat ad omnes fideles, & habetur intentum. R. 1. N. A. quòd enim tò *manducate* spectet etiam ad alios fideles, indicat subnexum illi mandatum, *hoc facite in meam commemorationem.* R. 2. T. A. N. C. vel potius id, quòd ex prima parte consequentis insertur; quia tamen salva est institutio, & præceptum omnibus datum suscipiendi hoc Sacramentum, scilicet Joan. 6. *Nisi manducaveritis &c. & cum Sacerdotes jubentur distribuere Panem Eucharisticum, hoc facite &c.*

Dices 6. illud præceptum Joan. 6. est pro utraque specie, quia sic sonat: *Nisi manducaveritis carnem Elij Hominis, & biberitis ejus Sanguinem &c. non habebitis vitam in vobis.* R. N. sequelam 1. quia sensus est, *nisi sumpseritis carnem & sanguinem* &c.



Sec. atqui sub una specie etiam sumitur caro & sanguis; adeoque vis precepti est de re sumenda, non de modo sumendi: quod inde colligitur, quia ibidem statim etiam promittitur vita aeterna sumentibus unam speciem: *Qui manducat me, vivet propter me.* v. 58. adeoque realiter & in virtute etiam bibitur sanguis (licet non formaliter bibatur) propter concomitantiam seu connexionem sanguinis cum carne. 2. Quia particula & potest sumi disjunctivè pro vel, uti nonnunquam sumitur. 3. Quia multa in Scripturis præcipiuntur quidem toti Ecclesie, non tamen à singulis implenda, sed tantum ab aliquibus, uti v.g. *hoc facite in meam commemorationem, euntes docete omnes gentes &c.* sic istud præceptum, nisi biberitis, satis observatur, si aliqui sumant Eucharistiam sub utraque specie, scilicet actu sacrificantes.

Dices 7. Ergo aliquoties, aut semel saltem, necesse erit in vita communicare sub utraque specie, quia Scriptura subinde utriusque, subinde unius speciei mentionem facit. R. N. illatum: eo ipso enim, quod Scriptura nunc tibi nunc utrique speciei promittat vitam æternam, ipsa determinatè non obligat vel ad unam vel ad utramque; reliquit igitur Ecclesie determinandum. Dein, si non semper opus est Eucharistiam sumere sub utraque, jam agnoscitur, sub una specie contineri & suscipi totum Sacramentum. Ad quid ergo necessaria est etiam altera species? Demum jam aliqui obligantur, nempe qui actu sacrificant, ad sumendam utramque spe-

ciem. Sed quare hi? R. ideo, quia in Sacrificio representatur passio & mors Christi, & mysticè occiditur Christus, quod sit per separationem mysticam sanguinis à corpore; nam *vi verborum* corpus sine sanguine sub specie panis ponitur, & vicissim: ergo Sacerdotes debent consecrare utrumque symbolum, & ut Sacrificium sit integraliter totum, etiam sumere.

Ob. 2. Eucharistia est Testamentum Christi, in quo nobis reliquit non modò Corpus sub specie panis, sed & Sanguinem sub specie vini: ergo qui unam solummodo speciem porrigunt, mutilant Testamentum, & defraudant fideles parte hereditatis, scilicet Sanguine Christi. R. est quidem Testamentum, sed tota hereditas, nempe Corpus simul & Sanguis Christi, datur fidelibus sub una specie, quia Christus indivisus; licet non detur sub duplici symbolo, tam bibili quàm comestibili. Quid quaeso interest, an mille aureos ex hereditate capias in uno vel in duplici marsupio? modò capias. Fideles, qui unam speciem accipiunt, non privantur Sanguine Christi, sed tantum privantur altera specie bibili, scilicet specie vini: quid ergo tot jurgis opus est? cur litigant pro re sensibili, & vili specie, cum totum Christum recipiant? cur de cortice multum sunt solliciti, cum habeant nucleum?

Dices. Quamvis Corpus Christi non sit sine Sanguine; tamen Sanguis non sumitur sub specie panis *Sacramentaliter*, quia Christus tantum voluit



luit sumi Corpus mediante pane & vinum mediante Sanguine. R. Huc denique, & ad has latebras se denique recipiunt fugitivi Adversarij: voco *latebras*, scilicet ignorantiae, quia nihil dant nisi verba, & ipsi fatentur, hanc manducationem Corporis sine Sanguine (quamvis realiter unito cum corpore) *Sacramentalem* esse inexplicabilem, & humanae rationi imperceptibilem, rectius dicerent chymericam. Melius igitur cum Catholicis sentitur, qui Sacramentalem manducationem explicare possunt facile, dicendo, *Sacramentalem* vocari ideo, quia anima per hanc sensibilem specierum, & latentis Christi, manducationem acquirit gratiam sanctificantem, & spiritaliter reficitur: quippe Sacramentum est *signum sensibile practicum gratiae sanctificantis*. Christus voluit hoc ipso sumi tam Corpus quam Sanguinem cum Anima & Divinitate sub una specie, quia voluit totus esse realiter sub una specie.

30. Ob. 3. Communio sub utraque specie majorem confert gratiam suscipientibus, quam sub una: ergo sine injuria non possunt privari Laici hoc excessu per subtractionem calicis. R. 1. T. A. quod à plurimis negatur, N. C. Injuria enim non est, si subtrahitur id, quod nec Jure Divino nec Humano debetur: calix non debetur; quia totum Sacramentum suscipitur sub una specie. R. 2. D. A. confert majorem gratiam, & iste excessus est necessarius ad salutem. N. A. non est necessarius. C. A. & N. C. Melius esse judicat Ecclesia, fideles carere fru-

ctu non necessario, quam Sacramentum exponi periculo multiplicis irreverentiae: & ob hanc causam nunc prohibet dari Evcharistiam infantibus, & tantum semel in die hoc Sacramentum sumi permittit ab adultis.

Dices. Signum externum est materia Sacramenti: ergo est pars essentialis Sacramenti: atqui vinum vel species vini est signum externum in Evcharistia: ergo. 2. Symbolum in Sacramentis efficit, quod significat: ergo ubi est duplex symbolum & perfectius, plus efficitur gratia. 3. Alius est effectus cibi, alius potus; nam potus sitim, cibum famem sedat: atqui panis est tantum symbolum cibi spiritualis, & vinum est symbolum potus: ergo effectus Evcharistiae, nempe refectio spiritualis, non perfecte significatur per unam speciem, adeoque nec causatur. R. ad 1. Signum externum tanquam materia jam datur in Evcharistia in una specie, quia per unam jam significatur refectio spiritualis, licet plenius significaretur per utramque speciem. Unde etiam sine speciebus vini datur Evcharistiae Sacramentum essentialiter integrum, quamvis non detur accidentaliter integrum; consequenter altera species vini non est pars essentialis, sed tantum integralis accidentalis, seu pars materiae plenius significativae, sive *symboli externi*: sed sicut *trina* immersio, quae olim adhibebatur in Baptismo, non fuit pars essentialis, cum ad essentiam Baptismi sufficeret *una* immersio, & hodie adhibetur solum *aspersio*; potuit tamen illa *terna* repetitio dici pars integralis accidentis.



dentis, vel pars materiae seu symboli externi, plenius significantis mundationem internam. Ad 2. Et si transmittetur totum, quod nempe utraque species propter pleniorum symbolizationem conferat plus gratiae, non tamen recte inferretur inde obligatio sumendi utramque speciem, cum iste excessus gratiae ad salutem necessarius non sit, neque sub praeccepto. Adde, quod valde incertum sit, plus conferri gratiae per utramque speciem, partim quia utrumque symbolum non significat res diversas, sed unam, scilicet refectionem spiritualem, partim quia hoc, quod significet eam cumulatius & plenius, nihil facit; moneta enim, in qua perfectius expressa proponitur imago

Caesaris, non propterea plus valet quam alia, in qua symbolum est minus perfectum. Ad 3. patet satis ex modo dictis. In Evcharistia cibus simul realiter est potus, nempe Christus vivus, qui non est sine Sanguine: item fames & sitis spiritualis realiter non distinguuntur.

Ob. 4. Plures ex SS. PP. aperte adstruunt necessitatem communionis sub utraque: ergo. R. SS. PP. vel loquuntur de Sacerdotibus actu sacrificantibus, vel de re sumenda, non de modo sumendi, vel de illis temporibus, quibus utraque species erat in usu aut etiam sub praeccepto. Atque sic non sunt contra nos.

## §. VI.

*De Sacrificio Missae.*

32. Sciendum 1. Sacrificium proprie dictum in genere defini communitate in hunc sensum: Est oblatio externa facta soli Deo, per quam a legitimo Ministro res aliqua sensibilis per immutationem ritu mystico consecratur in recognitionem supremi Domini, quod Deus habet in vitam & necem. Dicitur 1. oblatio, per quam vocem Sacrificium differt ab alijs actibus ad virtutem Religionis spectantibus. 2. Soli Deo facta, est enim praecipuus DEI cultus, & serè solus DEO proprius, quare nulli creaturae sacrificari immediate & principaliter potest. 3. A legitimo Ministro, qui in Lege

Natura erat Paterfamilias, in Lege Moyse & Christi Sacerdotes rite ordinati. 4. Per immutationem, scilicet vel physicam, vel moralem & mysticam. 5. In recognitionem supremi domini &c. cujus publica testificatio est Sacrificium, scilicet Deum posse pro libitu circa vitam & mortem nostram perfecte disponere, id quod indicat hostiae immutatio. 6. Ritu mystico, hoc est, certis ceremoniis, quas in Antiqua Lege praescripsit Deus, nunc Ecclesia determinandas reliquit. 7. Consecratur; nam res sensibilis, quae offertur, debet ex profana fieri sacra; sacrificare siquidem secundum